

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

Clariss.uiro,D.Christophoro Pannonio,fratri suo charissimo

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

ut Ecclesias harum regionum protegat & gubernet. Magna mutatio totius Germanici imperij impendet. Rege Angliæ mortuo, iam regnum Anglicum Imperatori commendatum est: & ipse occupatus noui regni constitutione, sinet Germanos inter sese tumultuari. Sed Deo cura erit Ecclesia, sanguine Filij redempta. Nos uerò tot exemplis horum annorum commonesacti, sumus ardentiores in inuocatione. Te oro, ut quoties erit occasio, ad nos scribas. Stoltius ex Prussia cum reliquo comitatu redijt. Menius propter febrem iter facere non potuit. Vitam redeat saluus & incolumis. Sed nihil responsum est, nisi principem curaturum, ut synodus in Germania habeatur: hæc responsio est $\alpha\upsilon\mu\alpha\ \pi\omicron\lambda\epsilon\tau\iota\kappa\omicron\upsilon\ \tau\tilde{\epsilon}\ \lambda\omicron\gamma\omicron\upsilon$, ut Thucydides nominat. Bene uale, die 20 Julij. Salutem opto D. Kitelio collega, & alijs amicis.

Clariss. uiro, D. Christophoro Pannonio, fratri suo charissimo

Saubertij 14.

S. D. Clarissime uir, et charissime frater: Multa exēpla humane infirmitatis intra octo annos uidi-mus, quæ mihi ingentē dolorē attulerūt. Sed profecto ualde anxietas me interitus uiri præstantis sapientia & uirtute, doctoris Hieronymi Schurpffij, & propter alia, et quia priuatim cum uerè dilexi. Ad-iunxerat

iunxerat, ut seis, ad illam perfectam cognitionem suæ doctrinæ, etiam Ecclesiæ doctrinæ. Et uox eius in grauissimis deliberationibus profuit, & deinceps profutura erat. Memini, nos de præcipuis doctrinæ Christianæ articulis sæpe familiarissimè colloqui: atq; utinam in hac nostra senectâ diutius mutua inter nos familiaritate frui potuissemus. Sed hoc quoq; trisitia fata impederunt. Deo nos commēdemus, & petamus ut nos gubernet. Tuam Præfationem his diebus scribā. Bene uale, die Petri & Pauli apostolorum, Anno 1554.

Consolatoria ad D. Ioannem Pfeffingerum, de morte filij, Licentiati Theologix.

I, 97.

Ideo Deus humano generi *εργα* indidit, ut sint commonefactiones de ingenti amore suo erga filium, & erga nos: & ut sint uincula societatis humane. Vult igitur adfici nos desiderio nostrorum, et in luctu pietatem probat. Sunt autem in optimis naturis *εργα* expressiores. Quare non dubito te, amisso filio (tali præsertim uiro, in quo non tantum indoles laudabatur, sed qui & omnium artium doctrina excultus erat: & non solum natura ad uirtutem incitabatur, sed etiam diuino spiritu regebatur: & iam in hoc studium ingressus erat, ubi ingenium eius ad artium propagationem profuturum

r z erat)